Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 757

Quelle:
Copyright:

aut *Ambroſium Camald.* veteres *Chryſoſtomi* Traductores referenda ſit. Aliam elaboravit *Germ. Brixius* Sec. XVI. quae habetur in edit. lat. *Opp. Chryſoſtomi Lugd.* 1687. T. V. p. 194. Novam denique dedere *Mauriani* edit. graec. lat. *Pariſ.* 1718. T. I. p. 362.

V. *fol.* 221. p. 2. *Incipit primus liber de Chayn et Abel ſancti Ambroſij mediolanen. epiſcopi.* Ita: *De paradiſo in ſuperioribus pro captu noſtro vt potuimus* &c. Sequitur *Liber* II. ut edit. *ſupracit.* T. I. *col.* 183. ſed Codex noſter in verbis: *qui mavult peccatoris correctionem quam mortem*, ſubſiſtit, nec habet περιικοπην illam de *Lamech.*

VI. *fol.* 235. p. 2. *Sermo Euſebij ceſarien. epiſcopi. De corpore et ſanguine Domini.* Initium: *Magnitudo celeſtium beneficiorum anguſtias humane mentis excedit* &c. et finis: *pijs nos operibus preparare dignetur qui viuit et regnat* &c. In edit. *Opp. Hieronymi Vallarſ.* T. XI. inter ſpuria legitur *col.* 255. In veteri Codice S. *Germani* nomen *Iſidori* praefert, in noſtro inſcribitur *Euſebio Caeſar.* T. VI. *Biblioth. PP. Lugd.* p. 636. inter *Homilias Euſebii Emiſſeni* ſeu *Gallicani* eſt *n.* V. *de Paſcha.* Verum neque huic eam indulget *Oudinus*, ſed totum iſtud *Homiliarium* vindicat *Fauſto* ex Abbate *Lerinenſi* Epiſcopo *Regienſi* in *Gallia.* Vide T. ejus I. *col.* 1309.

VII. *fol.* 237. p. 2. *Sermo Ambroſij ſextus de ſacramentis.* Libros hos VI. adpellari poſſe totidem *Sermones*, dant etiam in *Admonit.* praevia Mauriani T. II. *col.* 348. Praeſens ultimus diſtractus a fratribus incipit: *Sicut verus eſt filius dei dominus noſter ieſus chriſtus* &c. et tamen ad calcem additur: *Explicit opus — de Sacramentis. Henricus de Colonia.* Quod Librarii nomen putem. Tum continuo:

VIII. *fol.* 239. *incipit de paradiſo Rubrica.* Aliud *Ambroſii* Opuſculum, quod infit: *Et plantauit Deus paradiſum in eden* &c. *De paradiſo adoriendus ſermo non mediocrem nobis eſtum* &c. Extat *Opp.* T. I. *col.* 145.

IX. *fol.* 255. *Commonitorium palladij.* Ita inſcribitur Verſio Opuſculi περι των της Ινδιας εθνων και των Βραγμανων, quod absque Autoris nomine graece una cum ſua interpretatione edidit *Joach. Camerarius* in Lib. *gnomologico Lipſ.* 1571. 8. quodque hujus editionis ignarus *Palladio* inſcriptum reproduxit *Ed. Biſſaeus Lond.* 1665. 4. *Palladium* hunc quidam Scriptorem illum *Hiſtoriae Lauſiacae* Sec. V. habent, *Lambecius* vero Sophiſtam *Methonaeum* Sec. IV. Neutra tamen firmo talo ſtat opinio. Verſio noſtra omnium antiquiſſima incipit: *Mens tua que diſcere et multum diſcere cupit immenſo ſapiencie amore ſuccenſa* (ἡ πολλη φιλοπονια σε, και φιλομαθια, και φιλησοϊα) *eciam aliud nobis opus quod efficere deberemus iniunxit, hoc eſt bracmanorum conſuetudinem uitamque monachorum* &c. Nihil Graecus de *Monachis*, nihil Interpres de φιλησοϊα, qui in uni-